

## III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 44.

Elysium-Meum. Die Martis. 26 Junii. 1810. (Neov. 5. Junii. 1810.)

## Meditationes

## de Cassa Nuce.

Sparge Marite, nuces,  
Sed non Cassas.

Virgil.

Argumentum profundissimæ Meditationis  
Nux Cassa! tibi hæ lineæ sscratæ sunt. —  
Extrinsecus ita glabra, ita firma, & intrin-  
secus! absque robore medulla, & succo,  
quam me tui miseret! — quid vero sibi vult  
subtristis vultus dum dentibus diffinderis? —  
Non est culpa mea, pluribus in rebus mun-  
danis id usuvenit, ut dum commiserescimus  
abstinere temperareque a moesto vultu ne-  
queamus, quod a multis associatis Ideis ea  
occasione animæ oborientibus repetendum est.

Id quidem quisque in vita jam ex-  
periri potuit, at ego tamen in Cognitio-  
nem pervenire cupio, quæ Causa fuerit  
vultum meum ita distentum esse, quidque  
præterea cassam representando nucem in  
mentem venerit.

Nonne dixi! — Domini Ephemeridum.  
Novorum, Fabularum Romanensium Comoe-  
diarumque scriptores, aliique Auctores præ-  
elari illi, si Diis placet, illuminatores nostra-  
rum mentium culpam habent.

Memini me vice quadam cum tali Illuminatore pratum perambulasse. Gaudebat sibi mecum (qui tamen nunquam eruditus eram) esse colloquendi copiam; unamque avellanam aliamque continuo dentibus diffringebat, quas copiatim apud se gestabat, quod, ut agebat, æstheticam suam ligurritionem efficerent; hoc scriptum dicebat librum quemdam exhibendo, stuporem in te eliciet."

Quod id, agebam, scriptum?

„Est id Biographia Equitis, aut potius sœminæ Equitis *Æon* reponebat. —

Desine stupere, reponebam, fortassis historia falsa, ut videtur Fabula Romanensis est."

„Quasi vero, subicit ille, nucemque exhibet verme non pertusam, solidam sanamque instar libri fortiter compacti; en indicium in promptu nuci sanum esse debere nucleum."

„Id quidem non semper se ita habere opinarer."

„Care Vir! reddebat paullo commotiore voce, quam verum est huic nuci sanum inesse nucleum, tam verum & id: Equitem *Æon* esse muliebrem personam."

Dictum factum! diffractiōni dentes admo-  
vet, & — cassam deprehendit. —

Equidem risum eorum continere nequivi, miserebat me miseri illuminatoris in hoc loco rubore suffusi; — demonstratio, dicebam modeste, cum nuce fallebat, similis ea cuidam libro, aut nonnulli eleganter typo edito scripto, Interim futurum fortassis

tempus docebit, quid huius historiæ veri aut falsi sint? & En!

Hodie — exactis pleribus annis cassa diffingitur mihi aux. — Gallicis Novellis lego seqv. priorem nucem concernens de 31. Maji argumentum :

*Londino die 24. Maji.* Eques Eon olim Dimachorum Centurio. Eques Ord. S. Ludov. familiaris legatus Ludov. XV. ad aulam Petropolit. Secretarius legationis apud Ducem Neveranum, legatus ad aulam Londin. tum Negot. gestor ad eandem aulam &c. in vicino prædio Londino die 21. Maji æt. anno 79. Supremum obiit."

Quis ejus historiam ignorat? Multæ editæ ejus Biographiæ; gravem personam is in politico orbe egit. Mentis ingeniique dotibus, animi intrepiditate & tricus politicis nobilem se fecit, at mirabili cum primis ratione per id inclaruit, quod sexus fæminei, ad quem pertinere non existimabatur, deprehendebatur; jam quidem primæ ejus Londini commorationis occasione simile quid suspicari licuit, & hæc suspicio ansam præbuit pacta grandia ineundi; (quæ plerumque Anglicana argumenta sunt in ambiguis casibus). Ex una harum pactationum lepida enata controversia judiciaria, quæ eum exitum habuit, quod qui Equitem Eon fæminam esse prætendebant, in Causa triumphaverint. —

Decisio Judicum (Jury) testimonio DD. Legour, & Demorea comprobata est — qui evidenter coram Excel. Tribunali de 2

runt : personam , quæ Eques Eon adpellatur , sexus fæminei esse , factumque est , ut Lordius Mansfield secundum hanc Judicium sententiam pactatas 700 Libras ei addiceret , qui fæminam esse assererat .

Scandalum hoc procul dubio Causa fuerit Gallico regimini Equiti Eon utprimum Gallias repetiit Jussu dandi ut fæmineum habitum assumat , quod & factum est , & postquam Eques fæmina publicam Curiositatem Parisiorum satiasset ; patriam urbem Toneram repetiit , ubi usque Revolutionem ex pensione annua vixit .

Jam illuxit Revolutio atque in fæmina Equite Eon ignem masculæ & equestris alacritatis accendit . — Comparuit coram erecta eorum Commissione , & legionem illius regiminis se erecturam obtulit ; at hæc oblatio rejecta est . — Indignationis & moeroris plena in Angliam profecta ubi ad obitum usque perseveravit Pensione quam a Gallicano regimine percepit , occasione revolutionis orbata nullum aliud prout plures populares sui vivendi medium habuit , quam industriæ vacare .

At quæso , quæ illa erat Industria ? dexterritate pollebat in arte gladiatoria in qua discipulos erudiebat .

Novi cupiditas & curiositas animi , potius Britannica liberalitas & munificentia copiam discipulorum ei procurabat . Diu usque hac ratione vitam tolerabat , quo ab Anglicano regimine publicum stipendium ei decerneretur , beneficique homines aliquam opem

largirentur, qua fieri potuit, ut ruri prope Londinum in otio vivendo desederit.

Postremis vitæ diebus ægrotans imbecillitatem sensit senectutis; Gallicus Chyrurgus Pater Elisæus, discipulus R. F. Come ex Ord. Misericord. sædulo ægrotantem adivit, curavitque. Toto morbi tempore P. Elisæo ratio nulla fuit de fæmineo ejus sexu ambigendi, prout id passim credebatur & ferebatur. — Eques Domina Egon vita decessit, id Patri indicatum qui adveniens non leviter stupuit, sexum opinione diversum ejus fuisse. —

Hæc ille deteetione perculsus plures Medicos Chyrurgiæque peritos accersire utque sectioni Cadaveris adessent, orare, comparent ii, & de quo ante dubitarent, ita se habere convincuntur. — Rei memorabilitas publice innotescit seqv. luce, quæ erat Mercurii 25. Maji comparent DD. Wilson, Copeland, Reng Jun. & Bertin — Chyrurgi, quos plures illustres viri: Lord Yarmouth, Sir Sidney Smith, D. Littleton comitabantur. — Cadaver retegitur, & En! oculis cernitur Equitem Eon nequaquam fæminam, sed reapse virum fuisse. Secundo Cadaveri manus admovetur, & per hanc virilitas plene fuit comprobata.

En documentum testimonii occasione Sectionis & examinis Cadaveris!

„Infrascriptus fidem facio & testor hiis: Nos, occasione qua Cadaver Equitis Eon inspexissem, & eoram DD. Adain, Wilson,

& P. Elizæo examinasset, in eo omnia & sub omni respectu perfecte formata virilia organa deprehendisse. Subsc. Coppland Chyrurg. Golden Square."

Jam quæstio solvenda, seu Nux diffringenda occurrit: Quamobrem Eques ab Eon Jussui Regiminis parebat sui & fæminea se veste induit, cum facile de Contrario id edocere potuisset? —

Suspicio est, vanitate aut cupidine in res singulares eum ad id permotum esse. Id certum, eum ut virum, in negotio suo Diplomatiæ & sua intrepida alacritate tantam haud claritatem nominis adepturum fuisse, quantam sexum mentitus consecutus est — hoc probabile videri potest. — Nux non adeo casta est, continet fors nucleum — alii contra contendunt: sexum virilem tardius primum in eo se explicuisse, id vero sane casta esse nux poterit.

Eques memoratus raram habuit barbam, quamvis frequenter se non modo tonderet, sed & raderet. Coxæ ejus fæminæ adparebant sed hæc sufficiens fæminei sexus argumentum nequaquam præbent.

In summa: Liber Biographiam & memorabilia Equitis Eon complectens casta nux est, qualis plerumque multi libri sunt, inque promptuaria mendaciorum, in quæ tanta id genus Commentorum copia hæret, projiciendas est.

Longe aliter se res habet cum officiosis relationibus, quæ erudiendo & instruendo

Publico<sup>s</sup> servant, quæque necessitate regiminis & evidentia nituntur — quæque sunt sequentes.

*Cassela de 20. Maji.* In quo inter cætera hæc habentur. „Summa totalis nationalis Vestphalici debiti (demta Gallicæ debita restante Summa & Hanoveranis debitis) eruto exactio computu efficit 93,745,493 Fr. Summæ Gallicano regimini titulo Contribut. bellicæ & ex ord. redditibus intermedio tempore, quo ditiones, hodie regnum Vestphaliæ constituentes adhuc Casares Gallicæ administrationi suberant, percipiendæ erant; effectuerunt 21,924,369 Franc. ex quibus tamen pars ultroneo mutuo depeusa exsolutaque est.” — Quantum debitorum onus reliquis provinciis incubet, nondum publice constat.

*Amstelodamo die 26. Maji.* Dux de Regio Mareschallus Oudinot hoc Edictum promulgabat:

„Cum Imperatoris consilium eo dirigatur, ut quibusvis, quæ possunt, mediis Anglicanarum mercium invectione & diversorum Colonialium articulorum illatio in Hollandiam impediatur, ideoque DD. Generales Duces & Præfeti in omnibus oræ stationibus exactissimam vigilantiam intendent, ut innotescat qui Incolæ clancularie vacent Commercio.” —

„Quivis Incolæ qui Anglicanas aut vetitas Merces clanculum induxisse, eum Anglis communicasse deprehensus vel convictus e vestigio comprehendendus atque ab erecta Commissione judicandus est.

Quivis in aliquo Districtu existentes Teloniatore: subsunt dispositioni Generalis aut sup. Officialis qui Districtui cum imperio præest, quique eos pro ratione localium adjunctorum adcommodabit.

Generalis Districtui præpositus aut Sup. Officialis demum cum Præfecto Stationem ibidem habentium Copiarum consilia conferet, ut præcipuæ Stationes de quibus suspicio, pro depositoriis confiscatarum mercium occupari possint.

Sequestro additæ merces depositorio inferendæ Protocollo inserendæ earumque distributio ordini Teloniali conformiter peragenda est.

Sæpe fieri potest, ut naves absque lustratione Rotterodamum, Leodium Doderæcum, atque ad alios ab ora distitos portus pertingant; locales igitur teloniatore: mercium harum exportationi intersint, testimonium præbentes: an Colonialia producta, Anglicanæ vel ex Anglicano Commercio provenientes merces nave contineantur."

Nave ad oram, aut fluvii ostia adpulsa portumque intraneum petente, e re erit præpositos Teloniorum iis imponere, vigiliasque quæ eam ad destinatum locum comitentur; impediendumque erit, ne in via de mercibus quæ examinationi subduci possent, quidpiam eferatur. Ultrajecti die 13. Maji 1810. Subscr. Maresch. Dux de Reggio.